

Q. K. 381, 24.

(X1304024)



LITERÆ

AB


OLIVARIO
PROTECTORRE

ANGLIÆ &c.

AD

Sacram Regiam Majestatem
Sueciæ.

Date 7. Februarij ANNO M, DC. LVI.





LIVARIUS Protector Reipub. Angliæ. Scotiæ & Hiberniæ &c, Serenissimo, Potentissimo Principi, CAROLO GUSTAVO Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliciæ, Principi Rugiæ, Domino Ingridiæ & Vismariæ : nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, &c. &c.

Salutem.





*Serenissime, Potentissimeque Rex, bone Amice
& Fæderate.*



UM amicorum inter se mutua omnia tam aduersa quam prospera, atque communia debere esse nemo non intelligat, quod iucundissimam amicitiae partem Majestas Vestra gaudium nempe suum impertitum nobis per suas literas voluerit, non potest id quidem nobis non esse longè gratissimum. Quandoquidem & hoc singularis indicium humanitatis, veræque Regiæ est, ut nec vivere, ita nec gaudere quidem sibi soli velle, nisi amicos quoque & fæderatos eadem, quâ se, lætitia affectos esse sentiat. Itaque Regi tam præstanti & natum esse filium Principem, quem paternæ virtutis atque gloriæ speremque heredem merito gaudemus, & idem quod Regi olim fortissimo Philippo Macedoni, sive felicitatis, sive decoris, domi simul & foris, contigisse gratulamur: cui eodem tempore & natus Alexander filius & Myricorum gens potentissima subacta memoratur. Nam & Poloniæ Regnum vestris armis ab Imperio Papano quasi cornu quoddam avulsim, & cum Duce Brandenburgico pax non ita pridem facta, quin ad Ecclesiæ pacem atque fructum permagnum sit momentum habiturâ non dubitamus. Det modo finem Deus tam præclaris initiis dignum. Det modo filium virtute, pietate, rebusque gestis patri similem! Id quod & auguramur sanè, & à Deo Opt. Max. tam vestris rebus, quam ante propitio ex animo precamur. Dab. è Palatio nostro Westmonasterio, septimo Februarij Anno 1656.

Majestatis Vestræ

Bonus Amicus

OLIVARIUS.

4
Ferdinandus Tertius &c.



Litteras Serenitatis Vestrae 18. Julii proximè præteriti Wolgasti
datas, quibus Amicè Nobis communicat, quibus causis im-
pulsæ, arma sibi contra serenissimum Regem ac Republi-
cam Polonicam arripienda duxerit, tum præterea de Con-
stanti sua Pacis Osnabrugis & Monasterii Westphalorum
factæ ex fide & Religione pactorum servandæ voluntate con-
testatur, accepimus ac perpendimus. Et ad gravem sanè Ani-
mi nostri sentum pertinuit, quod ex iisdem literis intelligere
debuerimus, controversias illas, quæ Serenitati vestrae cum
dicto serenissimo Rege & Regno intercedebant, tandem in apertum bellum proru-
pisse: Gratum tamen fuit, quod aliunde ad Nos perlatum sit, non esse planè omnem
earum controversiarum amicabiliter componendarum viam exclusam, cum dies 14.
hujus Tractatui super iisdem Sterini instituendo sit præfixa. Sicuti igitur non dubi-
tamus, quin præmemoratus serenissimus Rex & Regnum Poloniæ ad æquas Pacis
conditiones incundas, eum quem par est animum sit allaturus, ita de æquanimitate
serenitatis vestrae eam conceptam habemus fiduciam, fore, ut nec ipsa quidem in se
quicquam eorum, quæ ad dissidia illa æquis potius rationibus, quam armis finienda
spectant, desiderari sit passura. Quò quidem Eandem serenitatem vestram bene-
volè hortamur & requirimus. Cæterum ad Contestationem ejusdem de firma &
perpetua sua non pacis modò, sed & Amicitia Nobiscum colendæ voluntate quod
attinet, sicuti de ea nullum Nobis unquam dubium fuit, Ita serenitatem vestram de
pari nostro, in ea omnia, quæ vel paci vel amicitia conservandæ & amplificandæ con-
ferre peterunt studio securam esse volumus. Quod reliquum, Eandem Divinae tui-
tioni ex animo commendantes. Ebersdorffii, 24. Aug.

Anno 1655.

F I N I S.

OLIVARIUS

1655

Q.K. 381,24.

OL
PRO

A

Sacra

Date



IO
RE

tem



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8